Mythologia, Francfort, 1581 - I, 13 : De sacrificiis mortuorum

Auteur(s) : Conti, Natale

Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre I

Ce document est une version augmentée de :
Mythologia, Venise, 1567 - I, 13 : De sacrificiis mortuorum

Collection Mythologie, Paris, 1627 - Livre I

Mythologie, Paris, 1627 - I, 13 : Des sacrifices qui se faisoient aux Defuncts *est une transformation de ce document*

Collection Mythologie, Lyon, 1612 - Livre I

Mythologie, Lyon, 1612 - I, 13 : Des sacrifices pour les trespassez *est une traduction de ce document*

Informations sur la notice

Auteurs de la noticeÉquipe Mythologia
Mentions légales

- Fiche : Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution – Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ).

Citer cette page

Conti, Natale, *Mythologia*Francfort, 1581 - I, 13 : De sacrificiis mortuorum, 1581

Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle)

Consulté le 03/12/2025 sur la plate-forme EMAN :
https://eman-archives.org/Mythologia/items/show/5897

Présentation du document

PublicationFrancfort, André Wechel, 1581
ExemplaireRegensburg (Allemagne), Staatliche Bibliothek, 999/Hist.pol.1307
Formatin-8
Langue(s)

- Grec ancien

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/5897?context=pdf

- Latin

Paginationp. 44-49
Notice créée par Équipe Mythologia Notice créée le 28/12/2018 Dernière modification le 25/11/2024

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/5897?context=pdf

τοῦτον οὕτω καλοῦντες διὰ γοῦν εὐφημίαν, οὗ τὸ ἱερόν ἐστι παρὰ τὸ Κυδώνιον, ἐκτὸς τῶν ἐννέα πυλῶν. *At nobilioribus ad hæc ſacrificia accedere nefas eſt: ſed ſolis Heſychidis, quod genus eſt de albis ſeueris gratum, principatumque obtinet in illis ſacrificiis. Solent immolare ante ſacrificia arietem Heſycho heroi ſacrum, quem ita nominant boni ominis cauſa, cuius ſacellum eſt iuxta Cydonium extra nouem portas.* Induebantur nigris veſtibus Diis inferis ſacrificantes nigro hoc eſt nocturno tempore, vt patet ex his carminib. Apollonii lib. 3. Argonaut.

ἑπτάκι δὲ βριμὼ κουροτρόφον ἐγκαλέσασα,
βριμὼ νυκτιπόλον χθονίην, ἐνέροισιν ἄνασσαν,
λυγαίῃ ἐνὶ νυκτὶ σὺν ὀρφναίοις φαρέεσσιν.
Tunc almam Brimo ſtans terque quaterque vocauit,
Brimo nocturnam, terreſtrem, quæ imperat vmbris,
Induta obſcuram per noctem veſtibus atris.

Mactabatur his ouis nigra prægnans, vt ſuo loco dicetur. neq; vinum harum dearum ſacrificiis erat accommodatum, cùm Nephaliæ dicerentur. at nunc de ſacrificiis defunctorum dicamus.

De ſacrificiis mortuorum. CAP. XIII.

NEQVE verò Diis ſolùm qui res humanas gubernare putabantur ſacrificia fiebant ab antiquis, ſed etiam mortuis, tanquam dæmones quidam & ipſi exiſterent, ſacra offerebantur, ſiue cùm quis ad inferos deſcendere putaretur, ſiue cùm anniuerſariis ſolennitatibus, aut aliis de cauſis, ab inferis euocarentur, his parentabant. Cùm aliquis igitur propinquus mortuus fuiſſet, mos fuit antiquorum vt capillos deciderent, & lugerent in eius honorem qui mortuus eſſet, vt ſignificauit Hom. lib. 4. Odyſſ.

νεμεσσῶμαί γε μὲν οὐδὲν
κλαίειν ὅς κε θάνῃσι βροτῶν, καὶ πότμον ἐπίσπῃ.
τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι,
κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.
Illum nec enim reprehendere fas eſt,
Qui fleat hunc, cuius fregerunt ſtamina parcæ.
Solus honor ſequitur mortales ille miſellos,
Et tondere comam, & lachrymas in funere ſpargi.

Sicut

Sicut etiam Alcæus epigrammatographus in his carminibus:

πᾶσά σοι αἰχμάτα Πυλάδη κέκαρται Ἑλλὰς
ἄπλεκτον χαίταν ἐν χροῒ κειραμένα.
Extinctum luget Pylades te Græcia tota,
Ad vnam tonſis crinibus vſque cutem.

Hos verò capillos qui cædebantur, mos fuit tanquam inferias mortuis conſecrare, & cum lacrymis in tumulum extremum donum conîcere, vt patet ex Iphigenia in Tauris apud Eurip.

τύμβον τε χῶσον, κἀπίθες μνημεῖά μοι·
καὶ δάκρυ' ἀδελφὴ καὶ κόμας δότω τάφῳ.
Tumulumque congere, & monumenta imponito:
Comas ſepulcro det ſoror cum lacrymis.

Nam mos fuit antiquorum vt per triduum mortuos antè lugerent, quàm iuſta perſoluerent, ſicuti teſtatur Apollonius lib. 2. Arg. in his:

ἀμφὶ δὲ καὶ δὴ ἔκλαυσαν μένον ἀχλύοντες.
ἤματα δὲ τρία πάντα γόων· ἑτέρῳ δέ μιν ἤδη
τάρχυον μεγαλωστί. συνεκτερέϊζε δὲ λαὸς
αὐτῷ ὁμοῦ βασιλῆι Λύκῳ. παρὰ δ' ἄσπετα μῆλα
ἣ θέμις οἰχομένοισι ταφήια λαιμοτόμησαν.
καὶ δή τοι κέχυται τοῦδ' ἀνέρος ἐν χθονὶ κείνῃ
τύμβος, σῆμα δ' ἔπεστι καὶ ὀψιγόνοισιν ἰδέσθαι.
At circumſteterant curantes funera triſtes,
Aſſidue luxere dies tres: lumine quarto
Magnificè exequias ſtruxerunt tota parentat
Vrbs cum rege Lyco. Iugulant in funera multas
Lanigeras pecudes, defunctis munera ſueta.
Illa dies tumulum erexit regionibus illis,
Quem ſeri poterunt etiam monſtrare nepotes.

Vbi præſtantiores viri eſſent mortui & opulentiores, illis pyra ſtruebatur inſignis: & ſi eſſent in bello mortui, captiui pro victimis cum illis vtebantur, vt innuit Verg. lib. 11.

Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret vmbris
Inferias, cæſo ſparſuros ſanguine flammas.

Veruntamen non ſolùm captiui, ſed etiam res cariores in pyram vnà mittebantur, vel animalia, quibus maximè delectarentur viui, vt teſtatur Hom. lib. 23. Iliad.

ἐννέα τῷγ' ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν.
καὶ μὲν τῶν ἐνέβαλλε πυρῇ δύο δειροτομήσας

δώδεκα δὲ Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς
χαλκῷ δηϊόων.
Namq; nouem aſſueti menſæ huic catuli antè fuere,
Atque pyra geminos iugulatos tradidit horum:
Magnanimum Troum bis ſenaq; pignora ferro
Occidit.

Sic Virg. lib. 10. *Quatuor hic iuuenes, totidem quos educat*
Vfens,
Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris:
Captiuóque rogi perfundat ſanguine flammas.

Vbi has inferias obtuliſſet, cadauer ad pyram afferebatur: quo pyræ impoſito ignis à propinquiore ſubiiciebatur, in quam pyram vltima dona omnes amici congerebant vel ad odorem, vel ad guſtum pertinentia, vel vt pyra facilius concremaretur, deinde cineres, & quod reliquum erat oſſium colligebatur, vinóque rigabatur, vt cùm ſuaui odore extingueretur, & in vaſa modò aurea, modò argentea, modò ærea includebatur, vt ait Virg. lib. 6.

& ſubiectam more parentum
Auerſi tenuere facem: congeſta cremantur
Thurea dona, dapes, fuſo crateres oliuo.
Poſtquam collapſi cineres, & flamma quieuit,
Reliquias vino, & bibulam lauêre fauillam:
Oſſaq; lecta cado texit Chorinæus aheno.

At vbi anniuerſariæ fierent exequiæ, nihilominus munera ſuper aras extructas deponebantur, vt eſt in libr. 5. apud eundem:

Nec non & ſocii, quæ cuique eſt copia, læti
Dona ferunt, onerantq; aras, mactantq; iuuencos.

Erat tamen cõſuetudo vt ſterilis vacca animabus mortuorum plerunque mactaretur, vt ait Homerus lib. 11. Iliad.

πολλὰ δὲ γουνοῦμαι νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα,
ἐλθὼν εἰς Ἰθάκην, στεῖραν βοῦν ἥτις ἀρίστη,
ῥέξειν ἐν μεγάροισι, πυρήν τ' ἐμπλησέμεν ἐσθλῶν.
Defunctorum animas ſupplex ſum multa precatus:
Inq; Ithaca ſterilem vaccam mactare domi ſum
Pollicitus, multisq; pyram contexere donis.

Cùm colligerentur oſſa & cineres mortuorum pyra exuſta, nõ facilè intelligere poſſum cur potiùs cadaueris, quàm lignorum

num eſſent illi cineres, qui colligebãtur, ſi corpus ſuper pyra impoſitum cremaretur. quare facilè venio in eam opinionem vt credam aliquas fuiſſe lapideas arcas, in quibus incluſa cadauera vrerentur: cùm præſertim inquiat Theophraſtus in lib. de Igne, omnia quæ intra lapidem circularem includerentur, in cinerẽ conuerti cadauera, cùm vſta alioquin deſerant reliquias: καὶ πάλιν διὰ τί ὁ μὲν ἐν πυρὶ κατακαυθεὶς νεκρὸς ποιεῖ λείψανα, ὁ δὲ κύκλῳ λίθος ἐξ οὗ τοὺς σωροὺς ποιοῦσι, καὶ ὅπου ἄλλοθι ποιῶσιν, ἀφανίζει πάντα, καὶ ἐν ἑαυτῷ τέφραν ποιεῖ. *ac rurſus, cur cadauer quod combuſtum ſit in igne, reliquias deſerat: at lapis circularis, ex quo ſtruem faciunt, & vbi alibi talis extiterit, omnia conſumit, & intra ſe incluſa vertit omnia in cinerem?* Sin domi mortui eſſent qui vrebantur, neque vlli eſſent captiui qui iugularentur in pyram, res quæ cariores extitiſſent viuis vnà comburebantur: quare Virg. Didonem facit inter cætera Æneæ res relictas ſecum in pyram deferẽtem. Sin exequiæ fierent pro iis qui mortui fuiſſent abſentes, erigebãtur illis tumuli pro aris, atque his vinum & ſanguinem victimarũ ad radices tumuli offerebant, & aliquando lac cum ſanguine, vt ait Lucianus in Necyomantia & in Charõte, animáſque vocabant ad bibendum ſanguinem, vt innuit Virg. lib. 3. Æneid.

Ante vrbem in luco falſi Simoentis ad vndam
Libabat cineri Andromache: manéſque vocabat
Hectoreum ad tumulum.

Ornabantur autem aræ ſiue tumuli, quæ pro abſentibus defunctis erigebantur, cupreſſo, quæ arbor funebris putabatur, & vittis nigris aut cæruleis: mulieres quæ adeſſe his exequiis non ſolebant, niſi ſolutis capillis: cuiuſmodi exequiæ illæ ſunt apud Virg. lib. 3. Æneid.

Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus, ſtant Manibus aræ
Cæruleis mœſtæ vittis, atráq; cupreſſo,
Et circùm Iliades crinem de more ſolutæ.
Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras: animámq; ſepulchro
Condimus, & magna ſupremùm voce ciemus.

Hæc fieri conſueuerunt pro abſentibus, quæ omnia facilè poſſunt è poetarum ſcriptis à quouis cognoſci. Erat etiam conſuetudo vt fores illarũ domorũ in quibus aliquis mortuus eſſet,

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/5897?context=pdf

cypariſſo ornarentur, nequis neſcius ingrediens pollueretur: quæ arbor iudicata fuit funebris, quia ſemel cæſa non amplius repullulet. At cineres eorum qui vſti fuiſſent domi, ſepeliebantur, vt teſtatur Sophocles in OEdipode tyrãno. Cùm verò anniuerſariè fierent exequiæ, nigræ oues mactabantur, & ſanguis earum in crateres collectus cum precibus in effoſſas foueas effundebatur: animæque vocabantur ad bibendum, vt ſignificauit Euripides in Hecuba:

δέξαι χοάς μου τάσδε κηλητηρίους
νεκρῶν ἀγωγούς· ἐλθὲ δ' ὡς πίῃς μέλαν
κόρης ἀκραιφνὲς αἷμ', ὅ σοι δωρούμεθα.
Has mortuorum inferias meas cape
Mulcimen, adſis vt bibas hunc ſanguinem
Caſta puella, quem tibi donauimus.

Sic Hom. etiam lib. 3. Odyſſ.

αὐτὰρ ἐγὼν αὐτοῦ μένον ἔμπεδον ὄφρ' ἐπὶ μήτηρ
ἤλυθε, καὶ πίεν αἷμα κελαινεφές.
Aſt ibi ego manſi, genitrix donec mea venit,
Sanguinem & illa bibit atrum.

Neque verò ſanguinem ſolùm, ſed vinum etiam in terram effundebant, vt eſt Iliad. lib. 23.

οἶνον ἀφυσσόμενος χαμάδις χέε, δεῦε δὲ γαῖαν,
ψυχὴν κικλήσκων πατροκλῆος δειλοῖο.
Ad terram fudit vinum, terramq; rigauit,
Patroclique animam ſuprema voce vocauit.

His etiam fuit mos lac addere, vt ſuperiùs patuit in exequiis Polydori. Quibus flores etiam addidit Virg. lib. 5. in his:

Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius ſtipante caterua.
Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho
Fundit humi, duo lacte nouo, duo ſanguine ſacro:
Purpureoſq; iacit flores, ac talia fatur:
Salue ſancte parens, iterum ſaluete recepti
Nequidquam cineres, animæque, vmbraque recepta.

Mulſum præterea, & aqua, & molæ ſupra vinum & ſanguinem in foueam iaciebantur, vt in his ait Hom. libro 11. Odyſſ.

ἔνθ' ἱερήϊα μὲν περιμήδης εὐρύλοχός τε
ἔσχον, ἐγὼ δ' ἄορ ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/5897?context=pdf

βόθρον ὄρυξα, ὅσον τε πυγούσιον ἔνθα καὶ ἔνθα.
ἀμφ' αὐτῷ δὲ χοὰς χέομεν πᾶσι νεκύεσσι,
πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δ' ἡδέϊ οἴνῳ,
τὸ τρίτον αὖθ' ὕδατι. ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνον.

Sacra ſimul ducunt Perimedes Eurylochusque.
Aſt ipſe eripui vagina protinus enſem:
Effodi foueam, quæ deſcendebat in vlnam,
Inferias in quam cunctis effudimus vmbris:
Ac primum mulſum, plena hinc carcheſia Bacchi,
Rurſus aquam, niuea texi quæ deinde farina.

Omnino verò & res aliæ complures in foueam iaciebantur, & quod putabatur ſuperfuiſſe mortuis, ſiue quæ res è fouea nõ euanuiſſent, poſt abſolutas exequiarum ceremonias non longo temporis interuallo vrebantur: vt ſignificauit Lucianus ita in Charonte, καὶ βόθρον τινὰ ὀρύξαντες καίουσί τε ταυτὶ τὰ πολυτελῆ δεῖπνα, καὶ εἰς τὰ ὀρύγματα οἶνον καὶ μελίκρατον, ὡς γοῦν εἰκάσαι, ἐγχέουσιν. *Atque foueam quandam excauantes magnificas iſtas cœnas vrunt, & in foueas vinum & mulſum, vt mihi quidem videntur, infundunt.* Vbi animas aduocarent ſupra congeſtum tumulum aſcendebant, atque inde ter animas altiſſima voce vocabant ipſorum mortuorum, vt ait Euripides in Oreſte:

μελίκρατ' ἄφες, γάλακτος οἰνωπόν τ' ἄχνην,
καὶ στᾶσ' ἐπ' ἄκρου χώματος λέξον τάδε.

Mulſumque ſparge, lactis atque aſperginem,
Tumuloque ſummo ſtans loquare talia.

Quòd ſi vocatæ animæ ad has exequias non accederent, inter mortuos illi non numerabantur: quare ita ſcripſit Virg. libr. 1. Æneid.

Spemque metumque inter dubij ſeu viuere credant,
Siue extrema pati: nec iam exaudire vocatos.

Ac de mortuorum exequiis ſatis, nunc de luſtrationibus dicamus.

De luſtrationibus. CAP. XIIII.

Et quoniam omnis antiquorum theologia ad homines ad probitatem & ad metum Deorum deducendos ſpectabat: idcirco minimè grata Diis immortalibus illa ſacrificia fore tradiderunt, quæ ab impuris hominibus offerebantur: ſed

Fichier issu d'une page EMAN : http://eman-archives.org/Mythologia/items/show/5897?context=pdf